



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GORLICENSIS**\* IN REPUBLICA FOEDERATA GERMANIAE GORLICENSIS DIOECESIS CONDITUR Solet usque Ecclesia iustas servare consuetudines et translaticium cultum humanitatemque, quo commodius fideles pietatem religionemque explicent. Inita igitur congrua Conventione die IV mensis Maii anno MCMXCIV cum foederatis civitatibus, Brandenburg et Libero Statu Saxoniae; praehabitis favorabilibus votis Venerabilis Fratris Ludovici Kada, Archiepiscopi titulo Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, Venerabilis Fratris Nostri Georgii Maximiliani S.R.E. Cardinalis Sterzinsky, Episcopi Berolinensis, Venerabilium Fratrum Ioannis Ioachimi Degenhardt, Archiepiscopi Paderbornensis, Bernardi Huhn, Episcopi titulo Tasaccorensis et Administratoris Apostolici Gorlicensis, ac Leopoldi Nowak, Episcopi titulo Cissensis et territorii Magdeburgensis Administratoris Apostolici, atque audita Conferentia Episcoporum Germaniae; de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis; Nos de plenitudine Apostolicae potestatis iubemus et statuimus ut memorata Administratio Apostolica Gorlicensis, quae comprehendit decanatus, vulgo appellatos, Cottbus, Finsterwalde-Lübben, Görlitz, Neuzelle et Senftenberg, cum mutationibus quae infra describuntur, ad gradum et dignitatem dioecesis, Gorlicensis appellandae, constituatur ac erigatur. A decanatu, vulgo, Neuzelle separatur et erigendae archidioecesi Berolinensi adnectitur paroecia, nomine vernaculo dicta, Golzow; a dioecesi Berolinensi separantur et novae dioecesi Gorlicensi adnectuntur curatia, vulgo, Dahme (Mark) necnon municipia, quorum nomina sunt, Liessen et Petkus; a territorio archidioecesis Paderbornensis, lingua vernacula appellato, « Bischöfliches Amt Magdeburg » distrahuntur et novae dioecesi Gorlicensi adiunguntur municipia, vulgari lingua, Langengrassau, Wiistermarke et Schöna-Kolpien necnon portio Altsorgefeld municipii Kemnitz atque portiones Neusorgefeld et Schwarzenburg municipii Walddrehna. Huius novae dioecesis sedem in urbe Gorlicensi locamus et templum pro-cathedrale ibi exstans, Deo in honorem Sancti Iacobi dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Gorlicensi pro tempore Episcopo honores, insignia, privilegia iuraque concedimus, iisdemque oneribus et officiis adstringimus, quibus ceteri Praesules Ordinarii locorum gaudent ac adstringuntur. Novam erectam dioecesim suffraganeam constituimus Ecclesiae Berolinensis, quae hodie pertinenti Decreto ad gradum Metropolitanae Ecclesiae evehitur, eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Berolinensis subicimus. Capitulum canonicorum apud ecclesiam pro-cathedralem Sancti Iacobi, exstans, per aliud Decretum edendum, ad Capituli Cathedralis gradum et fastigium extollatur; idemque ex una dignitate constabit, idest Praeposito, ac quinque canonicis titularibus. Hoc vero capitulum tum iuribus ac privilegiis fruatur, tum obligationibus tenebitur, quae ex iure canonico necnon ex normis iuris conventi statuuntur. Huius novae dioecesis, per aliud decretum edendum, Sancta Hedvigis Patrona, quondam Slesiae ducissa, statuatur. Congruae sustentationi Episcopi novae dioecesis providebitur dote cum civilibus Guberniis, quorum interest, secundum supradictam Conventionem diei IV mensis Maii anno

MCMXCIV determinanda, necnon Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei obveniente ex divisione, secundum canonem 122 Codicis Iuris Canonici facienda bonorum, quae hucusque ad memorata territoria pertinuerunt. Circa seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium formationem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione de Institutione Catholica statutis. Nonnulli seminarii alumni, philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi necnon sacerdotes ad studia complenda Romam, si fas est, mittantur. Quod vero attinet ad novae dioecesis regimen, administrationem bonorum, Administratoris dioecesani sede vacante electionem, fidelium iura, et onera, aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt adamussim serventur. Simul ac Gorlicensis Ecclesiae constitutio erit ad actum deducta, eo ipso clerici qui in territorio novae dioecesis ecclesiasticum officium detinent eidem incardinati censeantur; ceteri vero sacerdotes seminarii que tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Uniuscuiusque tamen circumscriptionis Ordinariis fas est, iusta de causa, rationibus perpensis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere. Acta et documenta quae territoria dismembrata, clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curia a quibus ad Curias circumscriptionum ecclesiasticarum quibus territoria aggreganda sunt rite transmittantur. Ad haec omnia perficienda, Venerabilem Fratrem Ludovicum Kada, quem supra memoravimus, deputamus, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis sollicitè remittendi, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

BERNARDINUS card. GANTIN  
*Congr. pro Episcopis Praef.*

Franciscus Cascone, *Protonot. Apost. s.n.*

Archangelus Moscone, *Protonot. Apost.*

*s.n.*

\*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 3, pp. 219-221 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana